

No 37.

JESU FORTUNANTE  
*Consensu*  
ILLUSTRIS ET GRATIOSISSIMI SENATUS  
MEDICI  
IN ACADEMIA SALANA.  
PATRONO AC MODERATORE  
VIRO

*Amplissimo atq; Experientissimo*  
DN. ALHARDO. HERMANNO  
CUMMIO. MEDICINÆ  
LICENTIATO.

Fautore atque Patrono suo devenerando.

POSITIONUM ME-  
DICO-FORENSIUM  
ENNEAC,

*Publico placidoq; Philiatorum examini submittit*

AUTOR & RESPONDENS

ELIAS HENRICUS Hentfel/  
GÖTTINGA SAXO.

In Acroaterio Medicorum

AD DIEM V. NOVEMBRIS

Horis Consuetis

---

JENÆ,

E Chalcographo BAUHOFERIANO.


ANNO M DC LIV.



1797

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





Σὺν τῷ ἰατρῷ χερσὶ!

# I. Cordis vulnera lethalia sunt.



*Ecce Harveus exerc. anatom. 1. de motu cordis inquit: Corde vel refrigerato, vel vitio gravi aliquo affecto, totum animal pati & corruptum iri necesse est: quippe, pergit insequentibus, quando principium corrumpitur & patitur nihil est (ut Arist. 3. de part. anim.) quod aut ipsi, aut cæteris quæ ab ipso pendent, præbere auxilium possit. Hinc fit, ut vel minimum cordis vulnus lethale existat, quâ autem ratione cordis vulnera lethalia sint, non satis apertum videtur.*

*Hippocrates 6. aph. 18. ut & in coac. pranot. illa simpliciter pro φανατόδεσις habet, quod etiam faciunt Aristoteles 3. de part. anim. cap. 4. Plinius lib. 11. hist. nat. cap. 37. Galenus in comm. ad aph. citat. Avicenna lib. 4. canon. fen. 4. tr. 1. cap. 2. Celsus lib. 5. cap. 36.*

*Econtra referunt Jacotius in comm. ad coac. Hipp. pag. m. 99. & Thom. à Veiga comm. in Galen. de loc. affect. lib. 5. c. 1. cervam per longum tempus sagittæ aculeum cordi infixum gestasse. Glandorpius cor cuniculi instrumento acuto perforatum, vivo permanente animali,*



mali, se vidisse testatur. *Platerum* cor porci, domi  
suae mactati, in anatomicum theatrum afferentem,  
ostendisse bacillum acutum, puerilem digitum mino-  
rem longitudine æquantem, in cor dicti porci impa-  
ctum, meminit *Henricus ab Heer obs. II.* examinatus au-  
tem *Scrofiapascus*, quando tereti bacillo, quo porcos  
agebat, ictum hunc fecisset? plus quam semestre esse  
respondit. *Idem* septimum diem nobilem supervi-  
xisse tradit, cui cordis conus cum insigni dilaceratio-  
ne duobus globis diverberatus erat. *Maniacus* Sacer-  
dos, acubus fortibus pectus pertundens, sex dies su-  
pervixit, post mortem secto cadavere, omnes acus  
cordis substantiam penetrasse comperti sunt, notante  
*Paulo Zachia quest. medicoleg. l. 5. t. 2. quest. 2. §. 21. Rhodius cent. 2. obs. 39.* in cavitatem cordis vulneratum no-  
num diem superasse tradit. Similia videre licet tum  
apud ante citatos autores, tum apud *Th. Bartholin. ana-  
tom. ref. lib. 2. cap. 6. Nobiliss. Dn. Mæbium med. Physiolog.  
cap. 12. Phil. Jacob. Sachsum in oceano macromicro cosm. §.  
39. Bauschium in discursu traumato hematolog. hematiti cu-  
rioso. prefixo pag. 34.*

Quin & ventriculo dextro vulnerato aliquandiu  
vita potest protrahi, quod ipsum exemplis demon-  
strant *Sennertus med. pract. lib. 5. part. 4. cap. 3. Dominicus  
Panorollus pentec. 5. obs. 45. Tulpius obs. lib. 2. cap. 18. Bar-  
tholinus cent. 1. hist. anat. 77. Seibizius exam. vulner. part. 2.*  
Taceo quod refert *Galenus lib. 2. de placit. cap. 7.* exse-  
cto nempe corde aliquando animalia spirare, clamare  
& fugere deprensa esse, quod etiam de cane confir-  
mat *Columbus lib. 14. de re anatom.* Ranam exsecto corde  
aufugere, haud rarum est.

Nobis cum *Galeno lib. 5. de loc. aff.* distinguenda  
viden-

videntur cordis vulnera, quippe τὸ τραῦμα nonnunquam ἀχει κοιλίας πρὸ τῶν ἐν τῇ καρδίᾳ ad ventriculum aliquem in corde pertingit; nonnunquam τὸ σῶμα tantummodo cordis læditur: prius si fit, vulnus absolute simpliciter per se pro lethali habendum esse, nullum est dubium, nam vulnerati παραχρῆμα τελευτῶσι αἰμορραγίᾳ, statim ob hæmorrhagiam pereunt, idque præcipue, ὅταν ἢ δεξιτερᾶ κοιλία τύχη τραφεῖσαι, si sinister fuerit sauciatus ventriculus. Posteriora verò pro absolute quidem lethalibus simpliciter, non tamen per se, sed secundum quid pronuncianda videntur, obortâ nempe ob caliditatem visceris celeriter inflammatione, cui resisti non potest. Cor διαφθεῖσθαι παραυτίκα πρὸς αὐξήσθαι τὸ πάθος, inquit Galenus, Conf. Eustach. Rudium de affect. extern. part. 1. lib. 1. cap. 17. Hollerium & Cardanum in comm. ad aph. cit. Hipp. Libautium in prædict. Hipp. An autem Forestus obs. lib. 17. obs. 1. in Schol. & Benivenius de abditis rerum & sanation. caus. cap. 42. Sentinæ cordis vulnera curasse verè gloriari possint, dubio non caret.

## II. Majora lienis vulnera sunt lethalia.

Splenis vulnera parvi æstimantur ab illis, qui cum Erasistrato apud Galenum lib. de atra bile cap. 7. & lib. 4. de usu partium cap. 15. ut & lib. 2. de nat. facultat. cap. 9. lienem viscus inutile frustra conditum existimant, quemadmodum facit Paracelsus lib. 2. de virib. membr. cap. 7. & Apocryph. de vulnerib. f. 557. Nihil etiam æstimabuntur ab illis, qui hocce viscus animali summe noxium esse, meliusque hoc absente degere animal,

mal, idque sine omni periculo & omni noxa tolli posse existimant. *Plinius lib. 11. c. 37.* impedimento illum esse cursoribus, ac excindi innoxie posse, forsitan ex *Erasistrati* sententia, ut conjicit *J. Talentonius thesauro variar. & recondit. rer. lib. 3. cap. 19.* asserit: quod & facit *Plautus in mercatore act. 1. scen. 2.*

Sine vitæ periculo aliquoties lienem excisum esse, si observatoribus credimus experientia testatur; cujus excissionis etiam ex aliorum sententia meminit *Celius Aurelianus lib. 3. tard. passion. cap. 4.*

*Quintus Serenus Medicus* antiquus hanc asserere videtur, dum lienem excisum faciles auferre cachinos, & perpetuò frontem severam præstare tradit. Apud Turcas, arcano ipsis modo, sæpius hoc fieri confirmat *Joh. Menavius* quem citat *Nicolaus Nicolai itinerar. in Turciam lib. 3. cap. 8.*

Saucios lienes sæpius à Chirurgis exemptos esse ex aliorum relatione tradit *Franciscus Rousettus lib. de excis. fæt. viv. ex matre vivâ.* Simile exemplum recenset *Ballonius lib. 2. ephemer. pag. 521.*

*Leonardus Fioravanta* mulierem (nobilem) liene graviter, imò lethaliter affectam ab omnibus Medicis derelictam adjuvante *Andriano Zaccarelli* extracto liene se conservasse testatur *tesoro della vita humana lib. 2. cap. 53.* quam historiam Latina civitate donatam, suis observationibus inseruit *Th. Bartholinus cent. 4. hist. anatom. med. 51.*

Ex *Roberto Fuldo* narrat *Riolanus* lienem canis à perito Chirurgo exemptum cane superstite manente, quod etiam in Anglia factum ex relatione *Jo. Christiani Agricola* & *D. Erasmi Bartholini* tradit *Th. Bartholinus loc. cit.*

Imo



Imo & in quibusdam corporibus plane defuisse  
lien deprehensus est. Prodidit enim *Hollerius in obs. rar. 5.*  
visam sibi mulierem liene destitutam, ejusdem nisi fal-  
lor meminit & *Laurentius*. Jamdudum vero idem e-  
rat observatum *Aristoteli lib. 4. de generat. anim. cap. 4.*  
*Matthiæ Orthelio* etiam hepar atque lienem defuisse  
legimus apud *Schenckium lib. 3. observ.* Sed intestina fu-  
erunt carne prædita soliditate musculos ipsos super-  
ante. Exemplo porro sunt pecudes in Cretâ, quæ (sine)  
liene vivunt, quod scolopendrio vescantur, ut narrat  
*Vitruvius architect. lib. 1. c. 4.* quod an sit asplenium, eru-  
dite explicat *Guilhelmus Rovil. l. 1. hist. plant. cap. 4. & 5.*

Jacobi Augusti Thuani lienem vix 3j. æquasse  
ponderem testatur *Riolanus lib. 2. antropograph. cap. 16.* In  
Luxenburgicâ principe non nisi vestigium repertum  
lienis, unguis latitudine ventriculo quasi oppressum.  
Superfedemus plura comemorare exempla: quæ si  
vera sunt, à lienis vulneribus parum erit periculi.

Nihilominus tamen lienis vulnera magni fiunt à  
*Cornelio Celso lib. 5. cap. 26.* quo cum consentiunt *Sebizius*  
*examin. vuln. part. 3. Aquapendens operat Chirurg. cap. 52.*  
Nos etiam profunda lienis vulnera ob arteriarum in  
hoc viscus insertarum copiam cum *Bartholino Anatom.*  
*reform. lib. 1. cap. 14.* pro simpliciter & absolute per ac-  
cidens lethalibus habemus, præsertim si acies pene-  
tret ad majores arterias. *Nicol. Tulpius lib. 2. obs. 29.*  
*Welschius in rationali vulner. lethal. nempe* ob insignem,  
quam inde oboriri necessum est, hæmorrhagiam, quæ  
nullo negotio sisti potest, cum nec manus nostra ad  
locum adfectum pertingere valeat & ἰατρικὰ medica-  
menta ob magnitudinem & copiam arteriarum pa-  
rum proficere queant.

Super-

Superficiarias autem lienis læsiones curari posse  
haud negamus ; quæ de parenchymate Hepatis usto  
observavit Nobiliss. & Excellentiss. Dn. Godofredus Mæ-  
bius, D. & Professor in celeberrima hac Salana celeberrim-  
us vñ ἐν ἀγίοις, videre licet ex medicina ipsius physiologi-  
ca cap. 16. p. m. 405. Alias de vulneribus lienis super-  
ficiariis curabilibus vid. Glandorpium Spec. Chirurg. cap.  
38. Exemplum vulneris lienis curati ex Carpo refert  
Forestus 6. observat. Conf. Fierozianta lib. cit. cap. 53.

An autem lien excindi queat, hoc loco inquire-  
re superfedemus, remittentes B.L. ad Zacutum Lusitan.  
lib. 2. hist. princip. admir. dub. 62. Riolanum lib. 2. anthro-  
pograph. cap. 3. Bartholinum loc. cit. Præ aliis autem hanc  
de quæstione doctissimè egerunt celeberrimum illud  
Academiæ Juliæ sidus Dn. Hermannus Conringius Politi-  
cus aequè atque Medicus Celeberrimus Præceptor atque Pa-  
tronus, cum Helmstadii degerem, meus summo animi cultu  
et atem colendus, lib. de sang. generat. ejusque motu cap. 6.  
& Nobilissimus, Excellentissimus atque Experientissimus Dn.  
Joh. Theodor. Schenckius D. & P. P. in hac Salana celeberrim-  
us Præceptor itidem atque Patronus meus honorandus Exer-  
cit. Anatom. lib. 1. Sect. 2. cap. 27.

### III. Similiter & hepatis vulnera profundiora pro lethâlibus habentur.

**V**ulnera hepatis magni fiunt ab Hippocrate lib. 6.  
aph. 18. lib. 2. prædiction. pag. 96. edit. Foesiana & in  
coac. prænot. pag. m. 199. ab illo enim inter τὰ τεω-  
ματα θανατοδέτερα referuntur. τῷ κατ' ἡπάξ πληγῆντι  
αἰκοντίῳ, εὐθύς τὸ χρῶμα καθεχύθη νεκρῶδες illico cadave-  
rosus

rosus color affusus est. τὰ ὄμματα κοιλὰ οὐλοῦντα ἀδερὰν  
ἀλυσμῶν corporis incontinens jactatio, δυσφορὴν implacabili-  
tas. Mortuus est, antequam concio dimitteretur,  
ἀμὴν ἡμέρῃ πληγῆς cum prima luce vulneratus fuisset. 5.  
epidem. §. 61. Puer etiam à mulo in ventrem & jecur  
ictus, obiit quarto die, spirationem autem crebram ha-  
bebat, neque mente valebat & febre detinebatur *loc.*  
*cit. §. 39.*

Econtra *Paulus Aegineta lib. 6. cap. 18.* abscissa a-  
liqua hepatis parte hominem servari posse tradit. Hel-  
vetius quidam apud *Hildanum cent. 2. obs. 34.* annorum  
triginta in conflictu quodam gladio Helvetico è regio-  
ne hepatis percussus fuit, maximumque vulnus rece-  
pit, sanguis copiosè effluxit, ita ut in deliquium ani-  
mi incideret. Advocato Chirurgo cum vulnus ex-  
plorare, & medicamenta ad sanguinem sistendum im-  
ponere vellet: frustum hepatis ad ostium vulneris sese  
offerebat, quod cum forcipibus apprehendisset, inte-  
grè extraxit. Ac licet sævissima supervenirent sym-  
ptomata, nihilominus tamen Dei beneficio optimè  
convaluit.

Quod hepatis substantia, *inquit Platerus obs. lib.*  
*3. pag. m. 635.* vulnerata & ex parte amissa sanari & re-  
parari possit, ex eo colligo: canem enim venatico cu-  
jusdam nobilis ab apro in venatione fauciato, ut hepa-  
tis illius pars ex vulnere prominere, canis portio-  
nem illius, dum vulnus, uti solent, lamberet, demor-  
sum devoravit, quem tamen post sanatum & supersti-  
tem me vidisse memini. Similes historias vide apud  
*Bertinum Medicina lib. 13. cap. 7. Cornelium Gemmam*  
*Cosmocrit. lib. 1. cap. 6. Forestum observat. Chirurg. 3. lib. 6.*  
*Glandorpium speculi Chirurgici observ. 34. p. 166.*

B

Ipse

Ipsa *Galenus comment. ad aph. 18. Hippoc. Sect. 6.* in-  
quit: ἡπατὸς ἔμνον τρώσιν βαθεῖαν ὅτι τῶν λοβῶν γενομέ-  
νην θεραπεύει. Φασιν, ἀλλὰ καὶ τὸν λόβον ἀποληθύντα, he-  
patis non solum profundam lesionem in lobo existentem cura-  
tam esse dicunt, sed et lobum abscissum.

Recte loqui videtur *Celsus lib. 5. cap. 26.* dum do-  
cet: fervari non posse cui jecinoris venæ percussæ, u-  
tique vix ad sanitatem pervenire, cui crassum ejusdem  
visceris vulneratum, sed plagam minus exitialem, ubi  
mucro non descendit ad grandes venas. Vulnera  
quippe hepatis, alta quæ sunt, ac profunda, præfertim  
vasa majora, ut truncum, venæ portæ aut cavæ,  
quæ lædunt, inter absolute per accidens ἀνίατα, ob in-  
signem quæ fisti non potest hæmorrhagiam, referre  
non dubitamus. Notum erat πολυτρόπως Ulyssi  
eo loco telum acutum majori cum effectu condi ὅτι  
Φρένες ἡπατος ἔχουσι Diaphragma hepar complectitur. Ho-  
merus 9. *Odyss. Galenus 4. de usupart. cap. 14.* cum truncus  
venæ cavæ per diaphragma ad hepar transiens hic fa-  
cillimo negotio lædi possit, quo læso vulneratus prius  
profundet animam, quam vulnus conglutinari queat.  
ἡπατος inquit *Galenus comm. ad aph. cit. Hipp. αἰμορραγικὰς*  
*ἔχει τὰς τρώσεις, καὶ διὰ τὸ ἀποθνήσκουσι φάντασιν οἱ*  
*τρώθεντες ἄπας, ὅτιν αὐτὸ κολλησῆναι. τὸ δὲ ἄπας εἶπον ἰνα*  
*καὶ φλέψ τις διακοπῆ.* An *Hermogenes* Medicus hujus ve-  
næ vulnerationem intenderit, dum *Hadriano* Impe-  
ratori se interficere volenti, locum sub mammillâ cir-  
cumscripsit, quo percussio celerius expiraret, ut ex  
*Dione Cassio* scribit *Casparus Hoffmannus*, judicent peri-  
tiores.

Illa etiam vulnera, quæ vesiculam fellis lædunt,  
pro læthalibus habentur ab *Helmontio de sextupl. digest.*  
alimen-

*alimenti human. S. 30. pag. m. 171. Oswaldo Grembsio de u-*  
*su partium lib. 1. cap. 817. p. m. 87. Ex ruptione vesiculæ*  
*fellis nobilem quendam diem suum obiisse ex Bertino*  
*refert Schenckius lib. 3. sect. post. obs. 68. Simile exemplum*  
*est apud Salmuthum cent. 1. obs. 3.*

Si autem vulnus hepatis tantummodo substan-  
tiam, atque *superficiem*, ut cum *Sennerto* loquar, lædat,  
lethale pronuciari nisi plane per accidens nequit,  
quamvis id ipsum non sine magnâ vulnerati noxâ fiat.  
Quippe permagni refert, *inquit Glissonius Anat. hep. c. 9.*,  
ut parenchymatis hujus continuitas seruetur integra;  
quoniam quicquid sanguinis ex arteriis in lienem,  
pancreas, omentum, mesenterium ventriculi &  
intestinorum tunicas effunditur, per venam Portæ re-  
ducitur, nec in venam cavam transmitti potest; nisi pa-  
renchyma hepatis pertransierit: tum etiam humoris  
fellei à sanguine separatio, haud alibi, quam in hoc pa-  
renchymate instituitur. Sunt autem illa momenti  
maximi. Unde liquet, læsa quomodocunque paren-  
chymatis hujus continuitate, cessare illico ibidem, ubi  
damnum illatum est, segregationem bilis à sanguine;  
& utrumque hunc humorem ruptis vasis una commi-  
xtum, in partium hiatus delabi, fierique illic noxiam  
eorundem stagnationem: quæ mala, continuitatis pa-  
renchymatis hujus solutionem necessario consequun-  
tur: Ex vulneratâ etiam jecinoris fibrâ lentam febricu-  
lam, vehementem corporis marcorem, mortemq; ante  
diem XL. vidit *Nicolaus Tulpius lib. 2. obs. 26.* Plura hac  
de re vide apud *Sebizium, Welschium & Nobilissimum Dn.*  
*Schenckium* aliosque.

B 2

IV.

## IV. Umbilici vulnera non ex necesitate lethum ferunt.

**R**Eferunt *Leo Afer*, *Cardanus lib. XII. de subtil.* *Andreas Laurentius lib. 6. anatom. cap. 9.* *Scaliger contra Cardanum exercit. 146. dist. 2. p. m. 750.* *Sperling. in Anthropolog. p. m. 720.* & alii, apud Ægyptios hodie grassatores & rebelles pro supplicio vivos exui corio, hosque ita demum diu magno cruciatu vivere, si carnifex umbilicum ferro non attingat, eo tactu illico exspirare.

Hâc narratione ducti *Andreas Laurentius* & *Johannes Sperlingius*, umbilicum ruptum & abscissum mortem afferre existimant. Cum enim, dicunt, excluso fœtu vasa umbilicalia in ligamentum degenerent, & ne hepar ad posteriora feratur, prohibeant, resecto umbilico concidit vena ista hepatis vinculum, & hinc hepar collabatur, ab eoque diaphragma, liberæ respirationis instrumentum, detrahitur, sicque homo suffocatur. Hinc etiam *Fabricius Hildanus cent. 2. obs. 58.* umbilici percussione in hydropicis (nisi valde intumuerit) contra *Laurentium* improbat cum si vena, vel potius ligamentum umbilicale, quod facile fieri potest, abscinderetur, de hominis vitâ actum esset.

Adolescens XXIV. annorum, cui hoc ligamentum illæsis interioribus omnibus abscissum erat, humi procumbens, quam primum exspiravit, teste *Hildano cent. 1. obs. 53.*

Non autem credit magnus ille *Anatomicus Joh. Riolanus lib. 2. anthropograph. cap. 12.* tantam in adultis vasorum umbilicalium necessitatem esse, ut uno rupto, vel omnibus incisis, hominem interire necesse sit,

fit, aut deterius vivere dyspnæâ fatigatum: Vidit namque in muliere Æthiopicâ saltatrice agillimâ, quæ ob interfectam sodalem strangulata fuerat, venam abruptam, & intrâ fissuram hepatis revulsam, atque arefactam, quæ sine ullo vitæ impedimento vixit. Testatur etiam se in plurimis mulieribus, quæ sæpius utero gestaverant, vasa tria umbilicalia inferiora abrupta, nec ad umbilicum pervenientia vidisse.

*Thoma Bartholino* etiam dubium videtur, an ab umbilico resecto homo suffocetur, cum alio valido ligamento hepar suspendatur, *lib. 1. cap. 7. anatom. reform.* Idem etiam contra *Laurentium* urget *Melchior Sebizi* *exercit. med. 26. probl. 9.*

Cum itaque vasa umbilicalia neque sentiant, neque sanguinem in se contineant, neque nobilem aliquem usum corpori in adultis præbeant, sed sint exautorata & rude donata, vulnera eorum haud magni ponderis atque momenti existere videntur.

Vidit id ipsum *Scaliger*, cui aliàs rationes non desse solent, *loc. cit.* Itaque repentinæ mortis causam non videns, alios ut inquirant, hortatur, dicens: *Spero in hac historiâ me incitaturum Studiosos ad causâ inquisitionem.*

Si verò hujus ligamenti læsionem mors sequitur, id ex accidente fit, ut rectè judicat *Th. Bartholinus loc. cit.* læsis quoque interioribus, & patulo ad rerum noxiarum penetrationem ostio.

Architectus *Pauli III. Pontificis Romani* ex vulnere, inter umbilicum & os ventriculi inflicto, sequenti die moriebatur, teste *Amato Lusitano cent. 1. cur. 60.* aperto cadavere stomachi infima pars incisa conspiciebatur. Similis historia est apud *Henricum ab Heer lib. 1. obs. cap. 25. pag. m. 218. edit. Bat.*

## V. Parva etiam læsio ob varias causas fieri potest lethalis.

**O** Instabilem atque miseram sortem humanam! homo *πρῶτος τῶν ζώων* qui appellatur, haud injuriâ & eorundem miserrimus vocari potest. Vagiens & quasi invitus in lucem prodit, cum lacrymis atq; miseriis vitam ducit, inter lacrymas atque ploratus decedit; ne momentum de vitâ suâ securus: adeo varia sunt, ipsi quæ perniciem intendere potis sunt! Tacemus alia, saltem levissimas, quæ mortem intulere læsiones, considerabimus.

In capite à minimâ læsione periculum. Pulchra Nerei filia à muliere amicâ ludente, *πλατὴν τῆ χειρὸς ἐπὶ τὸ βρέγμα* in *sinciput* percussa, nono die exspiravit, teste *Hippocrate 5. epidem. §. 5.* unde mirum non est, quod quidam colapho fortiter percussus, veluti ille apud *Benivenium de abdit. morb. & sanat. caus. c. 110.* qui apoplecticus factus intra paucas horas è vita excessit, illaque apud *Henricum ab Heer obs. lib. 1. c. 12. pag. m. 119.* quæ eodem modo percussa inter semihorulam obiit, interierunt. Simile exemplum recenset *Hercules Saxonia prælect. præct. part. 1. cap. 12. conf. Camerium cent. 10. mem. medic. 43.* Levissima etiam nunquam vulnera lethalia evadunt. Ex duobus levissimis vulneribus secundum frontem acceptis, quæ vix cutim penetrabant die XIV. quendam extinctum fuisse refert *Manardus lib. 6. ep. 1.* quemadmodum etiam ex levi in vertice vulnuscule moriebatur virgo nobilis apud *Hildanum lib. 1. obs. 21.* ex pilorum tractione mortem secutam legimus apud *Bartholinum cent. 5. hist. 35.*

Neque



Neque tamen difficilius aliæ partes incurrunt læ-  
sionem lethalem. Inter ludicra puerilia ictus fuit  
scipione in regione lienis juvenis XIV. annorum, cum  
insigni dolore, ac tam frequenti animi deliquio, ut  
postridie ejus diei vitam cum morte commutaverit,  
licet foris nullum conspiceretur vulnus *Tulpius obs.  
lib. 2. cap. 29.*

Apud *Benivenium loc. cit.* fullo adeo violenter ju-  
venis cujusdam stomachum percussit, ut statim con-  
cideret.

Subulcus Spadanus apud *Henr. ab Heer loc. cit.* in  
pube percutitur, exterioribus partibus illæsis; & ta-  
men tertio post die moritur, colon quippe ab ictu ru-  
ptum erat.

Imò & externarum partium læsiones lethiferae  
esse queunt. *Q. Emilius* incusso pollice limini cu-  
biculi mortem oppetiisse, *Cajum etiam Aufidium* in  
Senatum proficiscentem offenso pede in comitiis diem  
suum obiisse refert *Plinius lib. 7. hist. nat. cap. 53.*

Vidi, inquit, *Henricus ab Heer* qui anno ætatis  
LIX. cum ungues pedum sibi refecaret, atque ad vi-  
vum penetrasset, mox gangrænâ correptum, non mul-  
to post interiisse. Vidi, inquit *idem*, duos illustres,  
unum sexagenario, alterum septuagenario majores,  
cum callum pedis amputandum curassent, gangrænâ  
quam mox exciperet mors, incurrisse.

Ex parvo atque despicabili vulnere in volâ sini-  
stræ manus, quod vix subditam cuti carnem continge-  
bat, *Ludovicum Vives* Senatorii ordinis hominem in-  
tra septimum diem convulsione derepente corre-  
ptum interiisse, post *Valleriolam lib. 3. ennarat. medic. cap.  
8.* tradit *Schenckius lib. 5. observ. medicin. de digit. manuum.*

Johan-

Johannem Baptistam Argentinum ex vulnere minimi digiti Patavii obiisse refert *Horatius Augenius lib. 9. ep. 2.* Ex vulnere indicis digiti Medicum Bononiensem mortem oppetiisse testatur *Censor anonymus Alcorani, Noribergæ anno superiori in Vto Germanicè editi pag. 286. ad l. 1. cap. 42.*

Causam si quæris, respondemus, fieri nonnunquam, ut vulnus *Φαινομένως* tantummodo parvum & leve existat, *ὄντως δὲ* longè gravissimum sit; unde ægri & adstantes, qui Chirurgiæ & Anatomix ignari sunt, periculum negligunt, exitusque infelicitatem vehementer admirantur. Cujus generis sunt illa, in quibus externæ quidem partes aut integræ manent, aut parum saltem vulnerantur; internæ autem ita percelluntur, ut vasa rumpantur, effundatur sanguis & coeat in grumos, putrescat, plurimaque sævissima symptomata excitet. Nonnunquam & ipsi Chirurghi non satis cauti existunt, dum læsionem negligentes malum per moras invalescere sinunt, quin etiam ipsos ægros timentes derident, veluti ille apud *Hildanum obs. lib. 1. obs. 22.* vel etiam ob ignorantiam ipsi non rectè mendentur, de quâ fatali Chirurgorum ignorantia vide *Henricum ab Heer obs. lib. 1. cap. 22.* & *Langium lib. 1. epist. p. m. 51. & seqq.*

Ipsc quoque æger malum sibi accersit, cum nihil grave sibi accidisse credit, ideoque vulnus floccipendit, inque victu pro lubitu voluntatisque arbitrio se gerit, sicut in *Essen und Trincfeu nicht mäßig heilt.* cum illis apud *Hildanum cent. 1. obs. 19. & 22.* veneri litatur, vel amasiæ præsentia delectatur. Sanè quantum objecta venerea sensus moveant, videre licuit apud *Borellum Historiarum & observ. medicophys. cent. 1. obs. 93.* hic enim  
ado-

adolescens vulneratus jam ferme percuratus visâ ex  
adstantium incuria adamatâ puellâ, non tantum incon-  
tumacissimas hæmorrhagias incidit, sed etiam paulo  
post exinde obiit, sanguine nempe effervescente, an-  
tiquasque vulnerum vias quærente. Simile quidpiam  
Hannoveræ in juvene rustico, qui vulnus in capite ac-  
ceperat, notavit *Dn. PRÆSES*, cui visa amasia, non  
quidem fatalis fuit, attamen multorum Symptoma-  
tum causa extitit. Haud injuriâ itaque *Salmuthus cent.*  
*3. obs. 38.* miratur, quod capitis vulnus non sæviora in-  
secuta fuerint symptomata, cum patiens non tantum  
quotidiè ad ebrietatem fermè potaret, sed & puellas  
formosas, quibuscum jocabatur, ludebat, confabula-  
tur, penes se habebat. Talia autem objecta, quomo-  
do sensus, stimulos amoris, risumque movere valeant,  
notissimum est. Risus etiam in vulneribus periculo-  
sus, *judice Laurentio Jouberto & Hildano lib. cit. obs. 23.*

Alia ANIMI PATHEMATA corpus mirè affi-  
cere valent. Juvenis quidam apud *Hildanum obs. 17.*  
*lib. 1.* cui caput vulneratum, & cranium fractum erat,  
ex solâ irâ in febrim recidebat, & moriebatur. Alius  
viso amico ejus, qui ipsum vulneraverat, adeò com-  
motus est, ut arteria nuper vulnerata, & penè persana-  
ta rursus rumperetur *obs. 18.* Confer *Henricum ab Heer*  
*obs. 22.* Nec hoc mirum est, ira namque sanguinem  
accendit, & una cum eo spiritum, caloremque in ex-  
timas corporis partes impetuosè effundit, reliquos et-  
iam humores vehementer agit, & in aliis vomitiones  
biliosas, in aliis tremorem, in aliis convulsiones, in ali-  
is febres, in aliis alia mala excitat.

Aliæ etiam commotiones luctuosi eventus cau-  
sæ esse possunt, imprimis si multa tumultuose & cum

C

strepi-

strepitu circa ægros agantur. Puer vulnere capitis, & cranii fracturâ laborans, ex tumultu, & strepitu nimio, cum prope cubiculum tympana sonarent, fistulæ inflarentur, & rustici saltarent, gravissimis symptomatibus correptus moriebatur apud *Hildanum obs. 20. l. 1.*

Interdum etiam ægri prava dispositio in causa est, in malâ temperaturâ, ætate senili, virium infirmitate, cachexiâ totius corporis, aut saltem partis faucis, humorum pravitate, atq; malitiâ quivis etiam levissimus adfectus periculum creare potest, præsertim si nobili parti sit vicinus. Vid. *Sebizius. prodr. exam. vulner. part. 3.* Confer *Henricum ab Heer, obs. 12.* & *Nicol. Tulpium obs. lib. 4. cap. 6.* In corporibus impuris & succi plenis vulnera crurum ægrè sanari prodit *Fr. Bacon. de Verulamio sylv. sylv. exper. 785.*

Vulnerantis quoque rei natura non prætereunda, hæc quippe si quidpiam venenatum in se continet, malum exacerbare posse, lippis & tonsoribus notum existit. vid. *Welschius in rationali vulnerum lethalium.* Vulnera ære inflictâ illis quæ ferro infliguntur facilius curari, cum æs sanativâ virtute polleat, prodidit ante citatus *Verulamius exp. 787.*

Augent etiam periculum externa, Aer *μιάσματα* & *σπορροϊκὰς λοιμώδεις* & *ἰννοσεραῖς* inquinatus, aut qualitatum exsuperantiis insalubrior factus; ut & alterius rei venenatæ illapsus, vel etiam venenatus vetularum, & menstruosarum aspectus, aut aliud quodpiam accidens. Wenn dem verwundeten äusserlich etwas übelß begegnet / und derselbe entweder auff die Wunde fällt / daran sehr gestossen oder geschlagen / oder auch die Wunde vor der Luft nicht woll verwahret; oder wenn dem Patienten etwa eine Spinne / oder sonst etwas

was giftiges auff die Wunde fället; oder ein alt ver-  
dächtig Weib / oder sonst unreines Weibesbild dabey  
ist / wenn der Patientte verbunden wird. Fieri enim  
potest, ut vulnus quod per se leve est, harum causa le-  
thale evadat.

## VI. Eunuchi generare ne- queunt.

**T**estium unum absque damno tum vitæ, tum ge-  
nerationis excindi posse, utrâque largimur ma-  
nu. Quotidie id ipsum fieri videmus in hernioto-  
mia empiricorum, vel orchotomorum, videmus bru-  
ta, quibus uno exciso testiculo alter relictus est, ad-  
missa nil minus quam ante sectionem tum coire, tum  
etiam generare: Imò illi, qui μονόρχεις in lucem prodi-  
re, velut olim Sylla atque Cotta celebres Romano-  
rum Imperatores, teste *Arrio Menandro l. 49. ff. t. 16. de  
re militari & nihilominus liberis generandis operam  
dare. Conf. Cælium Rhodiginum lib. 4. antiq. lect. cap. 7.*

An autem quis ἀνορχος, non satis apertum est;  
affirmant *Fontanus, Cabrollius, Hoffmannus*: cum dicat  
*Aristoteles 4. de gen. anim. cap. 1. ἡ δὲ συμβάλλεται πρὸς  
τὴν γένεσιν τῆς ἀρρεθονίας καὶ θηλυθονίας τὰ μέγιστα ταῦτα  
τοῖς ζώοις. Τὸ δὲ σημεῖον, ὅτι πολλὰ τῶν ζώων ταῦτα τε  
καὶ θήλεα καὶ ἀρρενά ἔσσι, καὶ γενεᾶ τὰ μὲν θήλεα τὰ δὲ ἀρρενά,  
ὄρχεις οὐκ ἔχοντα, καθάπερ τὰ μὴ ἔχοντα πόδας ὅτιον τῶν  
ἰχθύων γένος, καὶ τῶν ὀφείων.*

Anno 1646. *Monspeli, Dominus Memorancius*, ut  
fortè illac iter faciebat, audito matris, cujus filix vim  
inferre volebat, unus ex stipatoribus clamore, reque  
intellecta, hominem ut erat ipso momento è fenestris  
suspendi jubet. Cadaver ejus theatro anatomico il-

latum est. Ecce cum ad genitalia ventum, stuprator-  
rem Plauti joco *intestatum* id est, testibus carentem,  
tam interiùs quàm exteriùs vidimus; cellulas tamen  
illas in eo, venereos in usus arma portaturos ut in aliis  
notavimus, inquit *Cabrollius*.

Oblatus mihi, inquit *alibi*, XXII. annos natus a-  
dolescens; quem, quia parentes intestabilem natura  
deprehenderant, matrimonio an Ecclesiastico sta-  
tui addicerent, dubitabant. Adhibitus ego in confi-  
lium, autor fui, in leges ut mariti descenderet. Di-  
ctum factum, post versa prosa, mixtisque omnibus fa-  
ventibus, vivit etiamnum; jamque complures genuit  
filios, testaturos mihi sine testibus se genitos.

Quin & ilios, quibus exsecti fuerunt testes, gene-  
rasse, compertum videtur; in juventute tamen, teste  
*Valesco de Tarantâ lib. 6. cap. 8.* & quidem utriusque se-  
xus sobolem *Platerus prax. tom. 1. lib. 2. cap. 19.* cujus  
rei & sibi aliquot exempla cognita esse dicit *Bauschius*  
*in discursu hematologico traumatologico hematitis curioso*  
*prefixo. Conf. Paulum Zachiam quest. medicoleg. lib. 3. tit.*  
*1. quest. 9. §. 5.*

Musicus quidam, inquit *Henricus Smetius lib. 10.*  
“ *Miscel. Medic. pag. 524. & 525.* celebris Guido, Maniâ  
“ correptus, pedibus brachiisque lector vincula lata ex  
“ corio firmissima astrictus sibi ipsi, dum stragulis tectus  
“ quietior solido jacere videbatur, dilacerato unguibus  
“ suis clanculum scroto, utrumque testem avulsit, absq;  
“ ullo doloris indicio. Nec prius facinus innotuit,  
“ quam uxor ejus, multo post sublevato lecti tegmine,  
“ si forte se perminxisset, explorasset. Videns itaque  
“ illa lectum cruentatum, Chirurgum accersit, qui dis-  
“ ruptum scrotum conspicatus neutro testium apparen-  
“ te, quæ

te, quarit à maniaco, ubinam illi sint? æger verò ni-  
hil quidem respondens, ilico tamen utraque manu  
prolata, & explicata, singulos complexus, avulsos  
ostendit. Idem haud longo post tempore, à scroti  
disruptione & mentis vitio restitutus, non solum ipse,  
sed & conjux ejus justæ ætatis, habitique benè corpo-  
ris mulier, candide fassi sunt, maritalè debitum à viro  
persolvi, adeoque semen, non minùs, quam ante mor-  
bum solebat ejaculari.

*Stagirites lib. 3. hist. animal. cap. 1. & lib. 1. de gen.  
animal. cap. 4. taurum recens castratum vaccam impræ-  
gnasse, refert.*

Eunuchos etiam cum foeminis rem hebere pos-  
se, innuere videtur sanctissimus morum emendator  
*Syracides cap. 20. vers. 4.* dum judicem jus violantem  
cum Eunucho virginem custodiæ suæ concreditam  
violantem comparat.

Contra *Divinus Senex lib. de genitur. pag. m. 232. in-  
quit: ευνυχοι ουκ λαγνευουσιν eunchi venerem non peragunt.*  
Hinc Juri confessionem irritam esse dicunt, quia est  
contra naturam si carens genitalibus fateatur, se adul-  
terium comississe *Gilhausen in arbor. judic. criminal. cap.  
6. part. 1. §. 12. & seq.* eosque ad contrahendum matri-  
monium non admittunt, teste *Ludovico Duntio casuum  
conscient. cap. 19. sect. 1. quest. 29. pag. m. 829.* quippe cum  
finem matrimonii, qui est sobolis procreatio, assequi  
non valeant. Quin & in jure civili sub capitis poenâ  
puerorum castratio prohibetur. *Cod. de Eunuch.* Imò qui  
hoc facit tot committere existimatur homicidia, quot  
castratus liberos generare posset.

Manet itaque verum Eunuchos generare non  
posse, si qui generavere, illis vel testiculus in abdomi-

ne latens relictus est; vel etiam superior pars unius aut  
amborum testium, ut ex *Hollerii comm. in aph. Hip. 6. 18.*  
scribit *Paulus Zachias lib. cit. §. 7.* Circumforaneus in  
" magno honore habebatur à mulieribus, quod & in ve-  
" nerto duello se strenuum exhibere posset, militem,  
" & ramentes nullos habere videretur. Spem con-  
" cipiebant ancillæ non conjugatæ, illum sic fore steri-  
" lem, neque se imprægnatum iri. Ad supplicium du-  
" ctus & decollatus cum esset, prosector testes in ingui-  
" ne reconditos observavit. Argumento, testicondos  
" salaciores esse præ reliquis, quibus vel sesquipede lon-  
" gius extra abdomen propendent, inquit *Rolfincius or-  
" din. & meth. partes genital. per anatomen cognosc. part. 1.  
" cap. 5. pag. 29.*

At quibus uterque testiculus totus evulsus, illis  
virilitas & vis generandi perit *Galen. l. 1. de semine.* Et  
quamvis coeant, nil tamen generant, cum testes ipsis  
fidem facientes non afferant, *Weil sie keine Zeugen mit  
sich bringen / die ihnen Glauben machen ut eleganter  
Harsdorpherus.*

**VII. Hymenis præsentia indu-**  
bitatum virginitatis indicium non existit, e-  
contra autem absentia ejus deflora-  
tionem non arguit.

**M**Embranula hymen à multis, tum amatoribus  
Zelotypis, tum macroamaticis, physicis atque  
medicis pro indubitato virginitatis indicio ha-  
betur, plurimisque inde, iisque speciosis nominibus  
gaudet. Quippe vocatur *eugium, virginitatis clau-  
strum, integritatis argumentum, castitatis munimentum,  
flos virgineus &c.*

Hac



Hæc omnes virgines donatas existimat *Wierus de præstig. demon. lib. 2. cap. 37.* idque se à matronis pudicissimis sibi que familiaribus, quæ in se ipsis hoc pudicitæ, munimentum prima admissione observarunt, & cum aliis foeminis hac de re familiariter & occulte contulerant pudica collatione rescivit.

Nobis magnificandum videtur iudicium *Plazoni*, qui *lib. 2. de part. genital. inquit*: ut hujus membranæ præsentia indubitatum virginitatis signum non est, ita absentia non statim arguit deflorationem. Quid enim si integra hac manente membrana foemina concipere potest, veluti factum apud *Hildanum cent. 3. obs. 60. & Pineum opusc. anatom. lib. 1. pag. 57. & seq.* Conf. *Bartholinum anatom. reform. lib. 1. cap. 31.* Annetum virginitas manet incorrupta? Si ante regenerari potest, & tunc reducitur virginitas. Econtra autem illæne, quæ hæcce membranâ à naturâ non dotatæ sunt, nullo suo merito impudicæ ac defloratæ pronuntiandæ sunt?

Hæc de membranâ ita loquitur *Πατριάρχης noster. Guernerus Rolfincius Med. D. & P. P. celeberrimus Academia Senior gravissimus & Facult. Med. p. t. Decanus spectatissimus ordin. & method. partes genitales per anatom. cognosc. part. 2. cap. 40.* Membranam transversam egregiam utrinque sæpe observavimus per stylum foratum spiritu appulso, se explicantem. In recens natis ejus apparere vestigia, in adultioribus rarissima fuit avis.

Valeat itaque, verba sunt *Nobiliss. Dn. Schenckii Schol. part. sect. 4. part. 1. cap. 13.* membrana hymen, præco ille virginitatis chartaceus, flos venti & araneus murus, de quâ tot perperam scripserunt, quot perperam in eam inquisiverunt,

Quam-

Quamvis enim, qui virgines uxores ducunt, sæ-  
pissimè experiantur, obstare aliquid, quod minus vir-  
ga virilis liberum inveniatur transitum, ut & hic verum  
evadat illud Poetæ:

*Multa tulit, fecitq; puer sudavit & alsit.*

*Donec ad optatam licuit pertingere metam.*

Tamen exinde hujus membranæ præsentia statim de-  
monstrari non potest. Vaginæ quippe est angustia,  
quæ ut plurimum primam coitionem acerrimam red-  
dit: vagina est, quam si occupaveris, cruentam satis  
reddit laciniam. Plura hæc de re qui scire cupit, adeat  
autores citatos à *Lindano Med. Physiolog. cap. 7. artic. 15.*  
§. 141.

## IIX. Nec linteaminum cruen- ratio certius quid probat.

**O**Mni seculo hæc ad virginitatis probationem ma-  
gni æstimata est. Apud Hebræos capitale erat,  
si sponsa non posset ostendere virginitatem in  
linteo *Deuteronom. 22. v. 21.* Ex *Leone Aphro* refert *Pla-  
zonus de part. genital. lib. 2. cap. 5. p. m. 116.* apud quos-  
dam Mauritanæ populos receptum quondam fuisse,  
ut sponsus invitatis ad solemnia Nuptiarum convivis  
linteolum sanguine aspersum ostenderet primo con-  
gressu à sponsa foedatum, quo facto invitatis discumbe-  
re & convivari licet. Si verò nihil sanguinis effluit,  
sponsa parentibus redditur, convivæque tristes & in-  
cænatæ recedunt. Apud Hispanos etiam vulgare esse  
sponsis eas, solutæ virginitatis lituras in linteo à primo  
conubitu observare tradit *Wierus de prestig. demon. lib.*  
*lib. 2. cap. 37.*

Verum

Verum ut non negamus apud Judæos perpetuum hoc fuisse virginitatis *τημνησις*, in nostris tamen virginibus perpetuū id esse ob varias causas à *Sebizio* & *Bartholino* memoratas asserere non audemus: ut econtra & jam ante defloratas sanguinem nonnunquam fundere, haud improbabile videtur.

Concludimus itaque cum *Plazono* non posse certissima, & omni exceptione majora sumi signa imminutæ virginitatis ex sanguinis profusione, cum is aliquando non profluat, aliquando verò meretriculæ non solum suos sponfos, sed etiam ipsas obstetrices & medicos peritissimos decipiant, immixtis piscium vesiculis sanguine plenis, aut aliis medicamentis adstringentibus, quibus nonnullæ multoties sibi dorem lucrantur, & repetito merreatu porcum suum vendunt. Quod illi qui rethnas muliebres considerat, incredibile non videbitur.

## IX. Nupti possunt ligari.

**I**N eantamento nuptos ad coitum ineptos reddi posse, & vulgo notum est; Noachum hoc modo à filio suo Chamo ligatum, quidam existimant. In Italia, & cum primis Romæ, scorta viros impotentes sæpissime reddere si antea subligaculi ligamen furtivè alicui subtractum, colligant, refert *Joh. Wierus de prestig. demon. lib. 3. cap. 18.* Idem de lupi virga in alicujus nomine ligata creditur: utroque enim soluto maleficiati liberantur. Si quis etiam malevolus cubiculi, in quo sponsus cum sua sponsa decumbit, ostium pulset, clametque, infigans januæ cultrum, siq; ille respondet, abrupta cultri acie, eam in ligno relinquat, discedat tacitus, ea nocte nihil posse sponsū in re venerea ferunt.

Apud *Bartholinum cent. 3. obs. 71.* ancilla quædam sacro copulationis cœtui se immiscens, pastore verba

D.

copu.

copulatoria pronunciantes ferram, quam domi non  
constrictam in marsupio secum adportaverat, con-  
strinxit, virilitati sponsi nocitura. Re ab adstantibus  
auditâ, advocato consilii autore inflictaque alapâ ad  
hæmorrhagiam, sic enim vim omnem incantamenti  
cludi existimabant, coegere ferram aperire, ut extra  
periculum sponsus esset. Quibusdam ramus querci-  
nus, ad rectum angulum sursum incurvatus, in usu est,  
*teste eodem.* In Gallia praxin hanc improbam à pueris  
& puellis impune & quasi palam exerceri, testantur  
multi; unde factum, ut matrimonii solemnia cele-  
brare, spectantibus multis, habeatur oppidò periculo-  
sum. In tota Gallia tam sæpe nodos necti tradit *Henning.*  
*Arniseus tr. de iur. connub. c. 6. S. 8. n. 19.* ut hinc plerumq;  
sponsi Missis nocturnis, antequam luce scatur, copulen-  
tur, ne ab incantatoribus per lucem conspiciantur.

Mirum est, quod quemadmodum observavit *Fer-  
nelius lib. 2. de abdit. rer. caus. cap. 16.* quidam ita ligati  
fuerint, ut cum sola uxore concumbere nequierint,  
veluti Amasis Ægypti Rex ligatus fertur teste *Herodoto.*  
*Vid. Jo. Jac. Speidel. in Notabilibus, tit. Nessel verfnüpfen.*  
*p. 679. & Majol. tom. 2. colloq. 3. p. 225. D. C. Iisdem ligamen-  
tis adversus Hermambergam Theodorici Regis uxo-  
rem ejusdem concubinas usas fuisse P. Æmilius in vita  
Clotarii II. testatur. Aput Helmontium de lithiasi c. 8.* Spon-  
sus quidam ligatus per menses V. ne sponsam suam at-  
tingeret, pedissequam interea imprægnavit. Postmo-  
dum ortis inter desponsatis jurgiis, dixit sponsa, se  
nefas cum pedissequâ dissimulasse, ut exploraret, an  
frigidus esset, an vero maleficatus.

Impossibile id ipsum iudicat *Borellus observ. cent.*  
*4. observ. 65.* hæcque omnia affectibus adscribit. Ve-  
rum haud improbabile videtur diabolum infenssi-  
mum humani generis hostem vitiare posse congressus

or-

organa, cum id ipsum etiam pharmacis propinatis, vel etiam lecto atque vestibus inditis effici queat. Scivere id ipsum Theologi, ideoque legem de maleficiatis & frigidis ad libidinis usum tulerunt *Decretal. Greg. 9. tit. 15.* Et quamvis *Codronchius* id phantasma tantummodo esse exemplis probare conetur, tamen revera illos deficere, sponse experiuntur & conqueruntur.

Hoc qui faciunt detestabile committunt flagitium; quod quamvis sæpius sine explicito cum diabolo pacto fiat, re ipsa tamen verè diabolicum est, hincque capitali supplicio dignum censetur à *Jo. Georg. Godelmanno* *Jcto. lib. 1. de incantationibus cap. 6.* in Gallia etiam ex legibus in ligantes animadvertitur teste *Fr. Bacon. de Verulamio sylv. sylv. exper. 888.*

Mitius tamen sentit idem *Baconus*, qui hosce effectus originem habere suspicatur ex imaginatione ligantis membrum virile *lib. cit. exp. 959.* Ab incantatione autem alienum illud existimat, quia non à certis tantum personis, quales incantatrices, sed à quolibet in Gasconia fieri potest, ubi hicce languor vocatur *noüer l'egiallette.*

Verum tantas imaginationis vires esse non existimamus, ut in corpus separatum agere, illud alterare, aut pro imperio lædere possit, imaginatio quippe est actus animæ, anima autem in separatum corpus agere nequit.

Recte autem censet *Ludovicus Duntius Cas. Consc. cap. 5. sect. 1. quest. 43. pag. m. 229.* in solutione impium esse ad artes diabolicas recurrere, veluti *Paracelsus* monstrosis characteribus & barbaris nominibus maritorum vires renovare solebat; nam & ipsa veneficia naturalibus curari remediis docet *Carichterus lib. 2. cap. 12.* quod etiam in puella expertus est *Henr. ab Heer obs. 8. Conf. Jo. Corr. Wechtl. homin. occid. disp. XLIX. diff. 20.*

Dantur quippe & hic remedia naturalia *Illust. Dn. Conringius*, juvenem sponsum ligatum solis remediis naturalibus Venerem excitantibus, semenque argentibus feliciter restituit. vid. *Disß. Conringio Heinssianam de incantationis circa morbos efficacia th. 33.* Inunctionem totius corporis cum felle corvino sesame-læo misto, commendat Cleopatra. Tali remedio virum quendam nobilem sanatum fuisse, refert *Johann. Wierus lib. cit. 3. cap. 18. Hartmannus prax. chimiatri.* pudenda utriusque sexus decocto aquilegiæ simplicis lavare, & ex dente demortui pulverisato super carbones fumigari jubet; quod suffimigium etiam commendat *Pedemontanus lib. de secretis.* Quidam hoc malum tollunt mingendo ad quercum antiquam, urinamq; terra operiendo. *Carichterus* mingendo per lopas betulæ hancce impotentiam se solvisse dicit. *Helmontius* quendam potu cerevisiæ, in qua tenelli betulæ ramuli incocti erant, persanasse scribit. Si sponsus mingat per annulum nuptialem ligaturam solvi tradunt, quod tamen an sine superstitione adhiberi possit dubitamus.

*Επιμετρεα.*

Lac est optimum infantis nutrimentum, contra ac sentiunt *Helmontius de infant. nutrit ad vit. long. & Osyv. Grembs. de usu part. c. 8. §. 12.* etiam si enim lac sanguine non elaboratus quid, veluti veteres existimabant, qua de re vide *Pharvorum aput AGellium noct. art. l. 12. c. 1.* non existat, sed rudi illo in venis lacteis qui continetur, succo, ut post *Vartonum adenogr. c. 36.* aliosq; demonstrat *Gv. Charleton. œconom. phys. anim. ex. 3. §. 3. seq.* simile sit; certum tamen est, Lac sanguini plane *αδελφόν & qs. σπυγερής* existere ut *Hippocratem* dixisse scribit *Galenus*, ideoque nullum alimentum in sanguinem promptius converti.

Quamvis *Θια* ex vegetabilibus formæ substantialis jastram faciant, ut contra *Quercetanus* asserit *Illustris Rolfincius in Chim. in art. form. red.* eadem tamen nihilominus multum de facultatibus matris retinent.

Caro leporina nullo suo merito insalubris audit.

F I N I S.

DA A 6540

ULB Halle  
002 937 247

3



Sb.

W 17







No 37.

JESU FORTUNANTE  
*Consensu*  
ILLUSTRIS ET GRATIOSISSIMI SENATUS  
MEDICI  
IN ACADEMIA SALANA.  
PATRONO AC MODERATORE  
VIRO

*Amplissimo atq; Experientissimo*  
DN. ALHARDO. HERMANNO  
CUMMIO. MEDICINÆ  
LICENTIATO.

Fautore atque Patrono suo devenerando.

POSITIONUM ME-  
DICO - FORENSIUM  
ENNEAC,

*Publico placidoq; Philiatorum examini submittit*

AUTOR & RESPONDENS

ELIAS HENRICUS *Hencfel* /  
GÖTTINGA SAXO.

In Acroaterio Medicorum

AD DIEM V. NOVEMBRIS

Horis Consuetis

JENÆ,

E Chalcographo BAUHOFERIANO.  
ANNO M DC LIV.

